



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio Prima. Vtrùm opera mortua per pœnitentiam reviviscant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

etiam de gratia, & ejus augmento statim faciendo, ut videre est supra tract. 2. d. 3. à n. 12. & à n. 123. quidquid ibi Adversarii adducunt contra nos, & hic adducere poterant, videri poterunt locis citatis, & etiam supra à n. 83. sit igitur.

201. Difficultas 2. Utrum prius naturā infundatur gratia antiqua, quam nova: vel è contra: an utraque simul? Dico 1. Prius naturā infunditur nova, quam antiqua gratia. Ita P. Arriaga tomo 8. d. 16. sect. 8. num. 57. P. Soar. Lust. tract. 1. de Penit. d. 4. num. 427. & alii. Probatur, quia ex modo loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum reviviscentia gratiæ antiquæ dependet ex remissione peccati; ergo hæc remissio peccati est prius naturā, quam antiqua gratia; sed remissio peccati de facto est posterior ad gratiam; siquidem fit ad exigentiam gratiæ datæ subiecto; ergo de primo ad ultimum reparatio gratiæ antiquæ est posterior naturā productioni novæ gratiæ.

202. Dices: In Sacramentis fictè susceptis, quando reviviscunt quoad suum effectum, non causatur prius gratia à novo Sacramento, quo tollitur obex, quam ab antiquo, sed ab utroque simul, solum præcedente prius naturā dispositione requisitā ex parte hominis; ergo idem dicendum erit in præsentī de novā, & antiquā gratiā. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Sacramentum novum in illo casu non præsupponit gratiam, ut possit illam causare: at verò reviviscentia meritum supponit peccatum remissum; siquidem fit dependenter ab hac remissione: cum igitur hæc remissio supponat necessariò gratiam; à fortiori eam supponit antiquæ gratiæ reparatio.

203. Dico 2. Satis probabile est, utramque gratiam infundi simul naturā. Ita P. Arriaga cit. Probatur, quia nulla datur ratio oppositum convincens; siquidem quam supra adduximus, non convincit, ut ex dicendis constabit; ergo &c.

204. Dices: Reviviscentia gratiæ antiquæ, ut diximus, dependet à remissione peccati; sed hæc præsupponit gratiam novam, ad cujus exigentiam fit, ut etiam diximus; ergo à fortiori illam præsupponit antiqua gratia. Resp. cum eodem P. Arriaga cit. Deum, ut velit antiquam gratiam restituere, non expectare actualem remissionem peccati, sed prævisā jam sufficienti causā ejus remissionis, unico actu simul velle, & novam infundere, & antiquam restituere. Et in hanc solutionem magis inclinat P. Arriaga cit. addens, cum res sit dubia; siquidem Deus potuit utroque modo id facere, quem autem de facto elegerit? Non potest, nisi divinando affirmari.

205. Difficultas 3. Quomodo componantur in eodem subiecto antiqui & novi gradus gratiæ? Respondeo primò, juxta nostram sententiam docentem hujusmodi gradus esse omogeneos, ut constat ex dictis in Met. tract. 4. d. 1. à num. 92. nullam esse difficultatem; siquidem antiqui possunt esse secundi, licet olim fuerint primi, & è contra: imò propriè dum sunt in subiecto, nulla esset diversitas primi, & secundi; cum omnes immediatè inter se, & cum anima uniantur illa autem est pura denominatio ab eo, quod prius, aut posterius fuerint infusi. Additur, non redire eisdem numero antiquos, sed alios similes.

206. Respondeo secundò, in contraria sententia docente, eos esse etherogenos, esse difficultatem non parvam, & quidem communem non solum reviviscentiæ meritò, sed etiam meritis non mortificationis: nempe quo pacto actus remissus ex se non merens, nisi primum gradum gratiæ, possit obtinere

vigesimum, qui est multò perfectior eo primo gradu. De hac tamen difficultate egimus jam supra tract. 2. d. 3. Igitur quoad præsentem.

Advertes in hac sententia de etherogenitate graduum, si gratia, quam meretur homo de novo (juxta id, quod diximus num. 201.) prius infundatur, quam vigesimus gradus antiquus, debere Deum pro illo signo naturæ miraculosè cum vigesimum gradum producere; siquidem non potest naturaliter existere, nisi præexistant alii antecedentes ipsum gradum vigesimum, utpotè quos ex naturā suā præsupponit.

DISPUTATIO III.

Quibus operibus competat hujusmodi reviviscentia.

SECTIO I.

Utrum opera mortua per penitentiam reviviscant?



SUPPONO primò ex supra dictis d. 1. n. 2. opera mortua dici, & esse omnia illa, quæ sunt ab homine spiritualiter mortua, sive ex stete in peccato; cum enim gratia sit vita spiritualis animæ, & hæc per quodlibet peccatū mortale amittatur, qui illud committit, vitam animæ amittit, diciturque homo spiritualiter mortuus, & omnia ejus opera in eo statu facta dicuntur mortua. Suppono secundò, opera, de quibus in præsentī potest quæstio excitari, posse esse aut actus bonos internos elicitos ab homine existente in peccato, quibus, si esset in gratia, acquireret novum augmentum gratiæ, & gloriæ: aut opera satisfactoria, sive pœnalia, quibus homo, sive spontè, sive de præcepto Confessoris intendit satisfacere pro pœnā temporali debitā peccatis jam ritè confessis, & semel dimissis quoad pœnam æternam. His suppositis.

Conclusio 1. sit: Actus boni interni, nempe fidei, spei, & alii similes facti ab homine peccatore existente in statu peccati, non vivificantur per subsequentem penitentiam. Est communis. Probatur ex proximè dictis, quia sola opera illa vivificantur, quæ aliquando fuerunt viva, & acceptata à Deo in meritum vitæ æternæ; sed prædicti actus nunquam habuerunt vitam, cum fuerint opera hominis mortui per peccatum, & nunquam fuerunt à Deo acceptati ad vitam æternam, cum fuerint opera hominis inimici, & odio digni; ergo non habent, ex quo dicantur vivificari.

Dices: Peccator mediis actibus fidei, & spei meretur, saltem de congruo, aliqua auxilia divina, & augmentum habituum; ergo saltem quoad hunc effectum poterunt vivificari. Respondeo negando consequentiam: & ratio est, quia meritum de congruo non est absolutè meritum; ergo non est, cur necessariò restituatur id, quod per illud con-

fertur: præsertim cum neque in Scriptura, neque in Concilio, neque in Sanctis Patribus, habeamus fundamentum ad id affirmandum.

4. Instabis: Homo solum de congruo meretur primam gratiam justificantem; & tamen hæc reviviscit, quando homo post lapsum respiscit, ut supra diximus; ergo etiam sic redeunt habitus fidei, & spei quoad augmentum, quod de congruo potest peccator mereri. Respondeo negando consequentiam, quia licet peccator per contritionem solum de congruo mereatur primam gratiam, neque aliter possit illam mereri, ut alibi diximus; alioqui principium meriti caderet sub merito; posita tamen ipsa primâ gratiâ, jam meretur de condigno primam gloriam tali gratiâ proportionatam: cum verò, posita pœnitentiâ, reviviscat jus ad gloriam, & hæc radicetur in gratiâ, necessariò dicendum est, etiam primam gratiam reviviscere, licet solum de congruo fuerit data: at verò hæc ratio non militat in fide, & spe. Accedit, quod meritum illud fidei, & spei, solum fuit in ordine ad aliquod donum, & præmium temporale, aut quod solum permanet in hac vita, ut est fides; sicque non est ad quid necessaria sit ejus reviviscencia: aliter verò dicendum in gratiâ, & gloria, cum sint dona perpetuò duratura.

5. Urgebis: Prima gloria nunquam potest dari, neque mereri de condigno: tum quia cum gloria radicetur in gratiâ, eodem modo acceptatur homo ad primam gloriam, quo acceptatur ad primam gratiam; sed ad hanc nunquam acceptatur de condigno; ergo neque ad illam: tum etiam, quia non apparet, quomodo actus contritionis, qui solum de congruo meretur primam gratiam, possit de condigno mereri primam gloriam: ob quas, & alias rationes à nobis adductas *tract. 2. d. 4. à num. 212.* hoc idem secuti sumus; ergo ratio proximè assignata non stat. Respondeo primò concessio antecedente, negando consequentiam quoad illud, quod intenditur; diversa ratio est, quia licet contritio solum de congruo mereatur primam gloriam ratione primæ gratiæ, quam etiam solum de congruo meretur, cum tamen informatam jam per ipsam gratiam sit opus hominis vivi per gratiam, eique detur jus ad ipsam gloriam ut hæreditatem, homo autem dum per pœnitentiam resurgit, resurgat etiam cum eo omne jus, quod habuit ex divina acceptatione, etiam cum eo resurgit ipsa prima gratia, & ratione ipsius etiam jus ad primam gloriam, licet utramque solum de congruo meruerit: hoc autem non cernitur in actibus fidei, & spei elicitis ab homine in statu peccati, ut patet ex supra dictis.

6. Resp. negando antecedens, & ejus probationes cum sententia, quam diximus satis probabilem *tr. 2. cit. d. 4. à n. 192.* ad ejus solutionem: Advertes primò, contritionem posse dupliciter considerari: Primò pro primo illo signo, quo antecedit gratiâ, & prout sic quemadmodum solum de congruo meretur primam gratiam, ita etiam de congruo tantum meretur primâ gloriam. Secundò potest considerari pro posteriori, in quo jam supponitur formata per ipsam gratiam, & prout sic dici poterit mereri de condigno primam gloriam, cum qua prout sic jam habet proportionem, & condignitatem.

7. Advertes secundò, de ratione meriti de condigno non esse, quod gratia illud antecedit tempore, aut naturâ, sed sufficere, quod sit opus hominis iusti, & dignificati per gratiam; ad hoc autem sufficere, quod gratia detur in subjecto in eodem instanti, in quo ipsum subjectum debet præmium accipere; siquidem in eo, & formatur actus, &

Tom. 2.

persona sanctificatur, & constituitur in statu merendi de condigno. Hoc posito.

8. Ad primam probationem dicendum est, quod licet nemo acceptetur ad gloriam, nisi per gratiam, sicque nemo mereatur condignè gloriam sine gratiâ; non tamen opus esse, ut etiam ipsa gratia simul mereatur, nisi solum quando non supponitur gratiâ data; nam si ita supponatur gratiâ data, siue absque meritis de condigno, tunc benè poterit homo mereri gloriam, quin mereatur gratiam: hoc autem accidit in casu proposito, in quo supponitur gratia data gratis, & cum hæc in posteriori naturâ jam actum, & hominem dignificet, potest hic per talem actum mereri gloriam de condigno, que quidem ex vi infusionis primæ gratiæ dabitur gratuito, & liberaliter: & ex vi actus, & hominis jam dignificati per ipsam gratiam, dabitur ex debito, & justitiâ. Unde Deus acceptat hominem ad gloriam gratiâ ob gratiam, quam gratis infundit, & ex debito ob contritionem, quam ut meritum hominis justificati intuetur, ideoque illum acceptat ut filium, qui paternam hæreditatem bene, & condignè meretur.

9. Ad secundam probationem ex dictis patet, quomodo actus contritionis possit mereri solum de congruo primam gratiam, & mereri de condigno primam gloriam. Et hujus diversitas est, quia præmium præsupponit meritum; cum autem prima gratia non possit præsupponere meritum condignum sui ipsius; siquidem cum hoc non detur sine gratiâ præsuppositâ, jam prima gratia, aut non esset prima, aut esset prior, & posterior se ipsâ, non potest unquam prima gratia condignè mereri: at verò in illo signo, in quo jam supponitur contritio formata, & jus ad gloriam, jam præsupponitur subjectum dignificatum per ipsam gratiam in priori naturâ datam; ac proinde potens mereri de condigno ipsam primam gloriam tali gratiâ respondentem.

10. Conclusio 2. sit: Utrum opera satisfactoria facta in statu peccati mortalis per subsequentem pœnitentiam reviviscant ad suum effectum? Suppono 1. remissâ per pœnitentiam culpâ mortali, licet remittatur cum illâ totus reatus pœnæ æternæ, non ita remitti totum debitum pœnæ etiam temporalis, ut contra hæreticos hujus temporis definitum est in Trid. *sess. 6. can. 30. & sess. 14. cap. 8. & can. 12. 13. & 14.* Probatur 1. pars, quia remissio non fit, nisi per infusionem gratiæ, ut habetur eodem Trid. locis cit. sed gratia, ut ibidem docetur, constituit hominem filium Dei, & hæredem gloriæ æternæ; ergo liberum à reatu pœnæ æternæ; siquidem dignitas gloriæ æternæ pugnat cum reatu pœnæ æternæ.

Probatur 2. pars primò autoritate Scripturæ, nam remisso Davidi peccato juxta illud 2. Reg. 21. Dominus quoque transiit peccatum tuum: injuncta est ei pœna ibid. Filius, qui natus est tibi, morietur. Et Deuter. 14. Moysi Deum oranti, ut populo peccatum murmuracionis dimitteret, respondit Deus: Dimisi juxta verbum tuum: attamen non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum. Secundò ex antiquissimo usu Ecclesiæ, quæ imponit, & semper imposuit pœnam pro peccatis, ut exemplis, & testimoniis Sanctorum Patrum latè probant P. Bellarm. lib. 4. de Pœnit. à cap. 2. P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 10. sect. 3. à num. 2. P. Visq. quest. 94. art. 1. dub. 1. & 2. Tertiò, quia in Baptismo nobis remittitur culpa originalis, & pœna æterna; & tamen non remittitur mors, & alia hujus vitæ miserix, quæ peccato originali in pœnam

XXX 2

datæ

datae sunt. Quartò, quia ex Conciliis, & Sanctis Patribus apud Doctores proximè citatos, constat animas esse in Purgatorio pro peccatis dimissis quoad culpam, & non quoad poenam; siquidem ibi orationibus, elemosynis, aliisque fidelium suffragiis adjuvantur; ergo &c.

12. Dices 1. Ex sacra Pagina videtur constare, remissâ culpâ mortali, & cum illâ etiam poenâ æternâ, remitti quoque poenam temporalem, ut patet Ecclesiast. 18. *Si impius egerit poenitentiam, vitâ vivet, omnium iniquitatum ejus non recordabor*: Recordaretur autem, si adhuc illum puniret poenâ temporali. Et cap. 33. *Omnia peccata ejus, quae peccavit, non imputabuntur ei*: ubi cum loquatur absolute, videtur loqui non solum de non imputatione quoad culpam, sed etiam quoad poenam. Et ad Rom. 8. *Nihil damnationis, inquit Apostolus, est in eis, qui sunt in Christo*: at verò poena temporalis aliquid est damnationis; ergo &c.

Respondéo in duobus primis textibus solum promitti poenitentem vitam gratiâ spirituales, de qua expressè ibi loquuntur; & huic vitæ ibi dicitur, peccata deleta non nocitura, neque Deum, in ordine ad illam auferendam, eorum amplius recordaturum, quod non tollit, quominus illorum recorderetur in ordine ad aliquam poenam temporalem. In eodem sensu dicitur, peccata non amplius imputanda esse poenitentem quoad poenam æternam, quod stare potest cum eo, quod illi imputentur quoad aliquam temporalem. Ex illo D. Paul. solum colligitur eos, qui sunt in gratia, nihil habere dignum damnatione æternâ, quod non excludit omnem poenam temporalem.

14. Dices 2. Christus Dominus, dum fuit in hac vita, pluribus peccata remisit; & tamen nulli poenitentiam injunxit; ergo &c. Respondéo primò negando minorem, ut videre est Marc. 1. ubi leproso jussit, ut se ostenderet sacerdoti; & illi pro emundatione munus offerret. Respondéo secundò, data minori, negando consequentiam; nam Christus Dominus, cum esset Summus Pontifex, potuit illis omnem poenam indulgere, aut liberaliter: aut quia eorum contritio erat perfectissima, ut fuit in Magdalena, & Sancto Lattone.

15. Dices 3. Christus Dominus pro nobis satisfecit satisfactione infinita; ergo omnis alia satisfactio est superflua. Respondéo satisfactionem Christi Domini fuisse quidem infiniti valoris, non tamen nobis applicari infinite absolute, sed respectivè, & proportionatè ad nostra opera: sic enim ejus merita fuerunt infiniti valoris; & tamen non infinite absolute, sed respectivè ad nostra merita fuerunt nobis applicata, & communicata.

16. Dices 4. Sublatâ causâ, tollitur effectus; sed tota causâ poenæ, est culpa; ergo sublatâ culpâ, tollitur omnis poena. Respondéo majorem esse veram de effectû, qui pendet à causâ in fieri, & conservari, ut dependet calor ab igne, & lux à Sole: non autem de effectû, qui solum pendet in fieri, ut dependet filius à patre, qui, sublato patre, adhuc perseverat: & sic perseverat reatus poenæ, sublata culpâ, quia ab illa tantum dependet in fieri.

17. Dices 5. Qui potest majus, potest & minus; sed poenitentia habet vim tollendi culpam, & poenam æternam, quod est majus; ergo etiam habebit vim tollendi poenam temporalem, quod est minus. Respondéo poenitentiam non habere vim tollendi poenam ex se, sed à Misericordia Divina, quæ ob iustas causas, & nostrum majus bonum, ac meritum, potuit, & voluit illam acceptare in or-

dine ad remissionem poenæ æternæ, non verò temporalis.

Dices 6. Eadem videtur ratio de poenâ, ac de culpâ; sed culpa omnino tollitur, ita ut nihil ejus remaneat; ergo idem dicendum est de poenâ. Respondéo negando majorem; Deus enim promittit poenitentem plenam, & totalem remissionem culpæ juxta illud supra: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Et omnia peccata ejus non imputabuntur ei; & non ita promittit remissionem totius poenæ, etiam temporalis.

Suppono 2. hujusmodi poenam temporalem expiari posse, aut per propriam satisfactionem hominis debitoris, sive ex opere operantis; aut ex opere operato, sive per Sacramenta, indulgentias, sacrificium Missæ. Utrum autem hæc commutatio reatus poenæ æternæ, qui sequitur peccatum mortale, in reatum poenæ temporalis, qui adhuc manet, remissâ culpâ gravi, proveniat solum ex voluntate Dei: an potius ex natura justificationis? Respondéo, exigere quidem ab ipsâ justificatione, pendere tamen à voluntate Dei, quod poena æterna commutetur in tantam, vel tantam temporalem. Patet, quia cum gratia ordinetur ad gloriam, consequenter postulat, ut subjectum, cui confertur, non deputetur ad poenam æternam; ergo exigit illius remissionem, aut commutationem in temporalem; hæc autem non potest ab alio, quam à Deo fieri; ergo &c.

Suppono 3. posse hominem in hac vita satisfacere pro poena temporali luenda in Purgatorio, tam de congruo, quam de condigno: non tamen teneri in hac vita ad hujusmodi satisfactionem, sive compensationem facere, quæ tunc fit, quando loco poenæ Purgatorii ponimus aliquod opus illi æquivalens. Probatur prima pars, nempe posse in hac vita pro tali poena satisfacere: Primò autoritate Scripturæ Itai. 1. Ezechiel. 18. Joel. 2. Math. 3. 2. Cor. 7. & 1. Cor. 11. ibi: *Si nosmetipsos judicemus, non utique judicabimur; dum judicamur autem, à Domino corripiamur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Quæ verba D. Aug. in Enchirid. cap. 66. de poenis temporalibus intelligit, quibus hic puniuntur justî, ne in futura vita puniantur.

Secundò autoritate Concil. Florent. & Trid. infra, ubi id de fide definitum est: & Sanctior. Patrum D. Ambr. ad Virginem lapsam cap. 8. D. August. Epist. 54. ad princip. D. Greg. lib. 9. Moral. cap. 17. alias 27. D. Bernard. serm. 55. in Cant. D. Chrysost. D. Basil. D. Iren. D. Epiphani. & aliorum, qui videri possunt apud P. Bellarm. lib. 4. de Poenit. à cap. 3. P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 37. sect. 1. à n. 2. P. Valent. d. 7. q. 14. punct. 2. Vega lib. 13. in Trid. cap. 36. Petr. Sor. & Rophens.

Tertiò rationibus: Prima, quia homo in hac vita est in statu viæ; ergo oportuit ei cœcedilicium, tempus, & modum, quo posset animum purgare ab omni culpa, & reatu illius. Secunda, quia magis est vitam æternam mereri, quam remissionem poenæ temporalis per opera satisfactoria consequi; sed homo in hac vita potest vitam æternam mereri; ergo etiam pro poena temporali satisfacere. Tertia, quia hoc modo magis excitantur homines ad virtutes, ad crescendum in meritis, ad amorem, & reverentiam erga Deum ostendendum: magis etiam à peccatis abstrahuntur, & est optima via ad vitia refecanda, & passionibus, quæ sunt radices peccatorum, mortificandas; ergo &c.

Dicent cum Hæreticis, nostra opera non habere rationem satisfactionis, sed esse tantum conditionem, ut nobis applicetur satisfactio Christi, quæ

cum nobis sufficiat, nostra est superflua. Sed contra, quia eadem videtur ratio de merito, ac de satisfactione; atqui non solum nobis applicantur merita Christi, sed nos per nostra opera mereamur; ergo etiam non solum nobis applicatur satisfactio Christi, sed etiam nos per nostra opera satisfaciamus.

24. Instabis: Satisfactio Christi est infinita; ergo illa sufficit. Respondeo esse quidem infinitam in se; nobis tamen applicari modo finito. Patet exemplo meritum Christi, quæ etiam in se sunt infiniti valoris; nobis tamen non applicantur modo infinito, sed finito, quatenus scilicet satis est ad adjuvanda nostra bona opera, ut etiam illa habeant rationem meriti in sua quantitate apud Deum; sicque idem dicendum de satisfactione.

25. Probatur 2. pars, nempe posse hominem in hac vita satisfacere de congruo pro pena Purgatorii: Primò, quia ita videtur definitum in Trid. sess. 14. cap. 8. & 9. ex quo, & pluribus testimoniis Sanctorum Patrum, id communiter probant Doctores Catholici supra cit. contra Hæreticos. Secundò, quia homo in hac vita potest pro huiusmodi pena satisfacere de condigno, ut infra dicemus; ergo à fortiori poterit pro illa satisfacere de congruo.

26. Probatur tertia pars, nempe posse hominem pro tali pena satisfacere de condigno: Primò ex Trid. cit. proximè, ubi asserit, posse nos satisfacere pro pena Purgatorii, sive temporali; sed non debet intelligi de satisfactione de congruo; sic enim possumus satisfacere etiam pro pena æternâ; ergo &c. Secundò ex Bulla Pii V. & Greg. XIII. ubi damnatur propositio 73. Michaelis Baii, in qua ita habetur: Satisfactiones laboriosæ justificationem non valent expiare de condigno penam temporalem restantem post culpam condonatam. Quam etiam Urbanus VIII. in Bulla. In eminenti, edita anno 1643. damnat.

27. Probatur tertiò ratione, quia nostra bona opera non sunt minùs efficacia in ratione satisfactionis, quam in ratione meriti; sed possunt mereri de condigno vitam æternam, prout supra diximus; ergo etiam satisfacere de condigno pro pena temporali. Ita tenent D. Thom. in 4. dist. 15. quest. 1. art. 2. q. 1. Richard. ibid. art. 1. q. 2. Durand. q. 1. art. 2. D. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 20. P. Bellarm. lib. 4. de Pœnit. cap. 7. P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 37. sect. 9. P. Egid. d. 10. dub. 3. n. 19. P. Lugo d. 24. de Pœnit. num. 28. P. Hurt. d. 13. dist. 3. P. Valent. q. 14. punct. 3. P. Henric. lib. 5. cap. 18. n. 3. P. Vasq. q. 94. art. 1. dub. 3. P. Tanner. q. 7. num. 50. P. Fagun. 2. precept. lib. 9. cap. 2. n. 17. P. Mol. tom. 3. tract. 2. d. 715. P. Laym. tract. 6. cap. 15. n. 3. & alii.

28. Probatur quarta pars, nempe non teneri hominem in hac vita ad huiusmodi satisfactionem: Primò ex Trid. sess. 14. cap. 8. ubi loquens de satisfactione, solum dicit, eam esse severiorè viam, & necessariam, non simpliciter, sed ad perfectam animæ liberationem, & puritatem. Secundò, quia posse satisfacere in hac vita pro pena temporali alterius vitæ, est gratiâ, ac privilegio; nemo autem tenetur uti privilegio sibi concessio. Ita Sot. in 4. dist. 20. q. 2. art. 2. Rega lib. 13. in Trid. cap. 22. Richard. Cordub. P. Henric. lib. 5. de Pœnit. cap. 20. n. 1. P. Tanner. q. 8. n. 32. Contra Palud. Caiet. Can. P. Valent. P. Bellarm. Magist. & alios: pro quibus:

29. Dices 2. Matth. & Luc. 3. 8. dicitur: Facite fructus dignos penitentia. Ubi Magist. in 4. dist. 16. Joannes, inquit, præcepit satisfactionem naturaliterque, & non positivo præcepto. Secundò Joel. 2. 12. Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, &

luctu, & in planctu: quæ opera omnia sunt facta, & præcipiuntur. Tertiò Trid. sess. 6. cap. 14. loquens de penitentia requisita dicit in ea contineri satisfactionem per ieiunia, elemosinas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pena æternâ, quæ una cum culpa in Sacramento remittitur, sed pro pena temporali, &c. Et eodem tendunt plura Sanctorum Patrum testimonia apud P. Bellarm. lib. 4. de Pœnit. cap. 12. P. Soar. cit. sect. 7. n. 3.

Respondeo ad primum Magist. loco cit. intelligendum esse de satisfactione pro culpa, de qua est naturale præceptum: non autem pro pena temporali, de qua nullum est præceptum, neque naturale, neque positivum. Ad secundum intelligendum esse de satisfactione requisita ad perfectam animæ liberationem quoad culpam, & quoad penam. Et de eadem loquitur Trid. cit. & intelligendi sunt Sancti Patres, quos adducunt P. Soar. & P. Bellarm. cit. Unde patet solutio ad tertium.

Suppono 4. conclusionem supra traditam n. 10. posse procedere, aut de operibus voluntariè factis: aut de operibus, quæ ex præcepto Confessoris imponuntur pro integritate Sacramenti Penitentia, cuius pars integrans est satisfactio, quam Confessarius sub mortali tenetur imponere regulariter loquendo, ut docent P. Soar. d. 38. de pœnit. sect. 3. P. Henric. lib. 5. cap. 20. n. 5. & cap. 21. P. Reginald. lib. 7. à n. 11. P. Laym. P. Lugo d. 25. n. 49. Diam. part. 6. tract. 6. Resol. 44. & alii: & quam etiam sub mortali tenetur pœnitens acceptare, ut tenent D. Thom. Palud. Major. Durand. Alens. Sot. P. Soar. cit. sect. 7. n. 2. addens contrariam sententiam post Trid. esse temerariam, & esse contra fidem existimat P. Vasq. tom. 4. in 3. p. q. 94. art. 1. dub. 1. n. 5. & improbabilem dicit P. Henric. lib. 2. cap. 3. n. 11. P. Tolet. sum. lib. 3. cap. 9. n. 3. P. Bellarm. lib. 4. de pœnit. cap. 13. P. Filli. tom. 1. tract. 8. cap. 2. quest. 8. n. 53. P. Valent. tom. 4. d. 7. q. 14. punct. 4. P. Egid. P. Bauny P. Reginald. P. Laym. Diam. 3. part. tract. 4. Resol. 51. & alii.

Dixi, Confessarium teneri sub mortali imponere penitentiam sive satisfactionem regulariter loquendo, quia ut optimè notant P. Tolet. lib. 6. sum. cap. 23. P. Hurt. d. 14. dist. 2. P. Henric. lib. 5. cap. 22. P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 49. sect. 4. num. 14. & alii, aliqui numerantur casus, in quibus potest non imponere penitentiam. Primus, si pœnitens jam sit sensibus destitutus. Secundus, si insister martyrium subeundum; vel Jubilæum, aut indulgentia plenaria lucranda, quæ remittitur culpa, & pena. Tertius, si ex vehementi dolore, & circumstantiis intelligat Confessarius, penitentem plenè satisfacisse. His suppositis.

SECTIO II.

Resolvitur Conclusio supra posita.

Dico 1. Nullus in peccato mortali existens potest satisfacere pro pena temporali debita ratione alicujus peccati commissi, & condonati. Ita D. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. q. 2. Ledesm. in 4. 2. p. q. 13. art. 2. & 3. Marfil. in 4. q. 11. art. 2. Adrian. q. 1. de satisfactione, & quodlib. ult. Caiet. tom. 1. Opuscul. tr. 6. q. 2. Alens. 4. p. q. 85. P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 37. sect. 2. n. 2. P. Lugo de pœnit. d. 24. num. 24. P. Egid. d. 10. dub. 4. P. Vasq. quest. 94. art. 1. dub. 4. num. 3. P. Hurt. d. 13. dist. 4. P. Soar. Lusit. tract. 8. de